

## §. VI.

Succedunt nunc notandi porro *Sociniani*, qui duo contendunt ex nostro oraculo demonstrare. α) Deum decernere & velle quædam peccata, saltem quatenus aliorum peccatorum poenæ sunt. β) Judam, proditorem Christi, & reliquos Christum ducentes captiuum, damnantes & interficientes eum, non contingenter & libere, sed necessario illud fecisse, in quo ipso, ἡ ὀρισμένη βαλὴ καὶ πρόγνωσις τῆ Θεῶ pesime non tantum explicatur, sed etiam male applicatur. Vtrumque videbis factum a SOCINO, in *Prælect. Theolog.*, cap. VIII, p. 27, & cap. X, p. 33. Et est hæc communis omnium Sociniano- rum sententia, quam durissimis & in infinite perfectam Dei sancti- tatem quam maxime iniuriis verbis solent exprimere. Ita SMAL- CIVS, v. c., contra Franz, *Diss. XII*, affirmat, *interfectionem Christi, non tam hominum actionem, quam Dei opus censendum esse, quippe qui omnia, quæ Christo acciderint, decreuerit diuina sua sa- pientia, prouocans ad nostrum oraculum, & Act. IV, 27, 28, imo etiam ad exemplum Petri, cuius voluntatem, perhibet, cum abnegaret Christum, fuisse a Deo ad breue temporis spatium libertate priuatam, & quodammodo coactam.* Et, licet VOELCKELIVS, *Resp. ad nod. Gord.*, c. 18, videatur sanioribus vti verbis, *ex vna parte, inquit, Deus iam ante decreuerat, ut aliquis ex Christi domesticis esset, qui eum proderet; ex altera autem parte, Judas ad hanc rem, quippe furto & auaritiæ deditus, accommodatissimus fuit, postea tamen subiungit, Deum voluisse, ut Judas in hoc peccatum incideret.* Conferri etiam potest CATECH. RACKOV., cap. X, p. 305.

## §. VII.

Arminiani videntur quidem, in explicando oraculo nostro, cum Socinianis prorsus non consentire, præsertim, si ea conferantur, quæ in hanc sententiam scripserunt, nunc PHILIP. LIMBOR- CHIVS, *Theolog. Christ.*, Lib. II, cap. 30, num. 17, nunc SIMON EPISCOPIVS, *Instit. Theol. Lib. IV, cap. XV*, nunc alii ex iis- dem. At enim vero, si & hæc paulo accuratius attendantur, pure omnino

omnino